uidissent. Neque enim omnes uident apertos caelos. Denique et
hiezechiel quid dicit in principio suo? Et factum est inquid cum
sederem secus fluuium chobar in medio captiuorum uidi inquid
apertos caelos; ego uidi; ceterum alii non uidebant. Ne quis putet
caelos simpliciter et carnaliter apertos. Nos ipsi qui modo hic sedemus
secundum diuersitatem meritorum aut apertos caelos uidemus
aut clausos; plena fides apertos habet caelos. Ceterum dubia clausos.
Et spiritum tamquam columbam descendentem; Solent nobis manichei
et marcionitae et ceterae hereses obicere et dicere ergo si Christus incor
poreus et ipsa caro quam adsumpsit non est deposita. Nec deposuit
eam. Ergo et spiritus sanctus qui descendit in columbae. Videtis sibi laser
pentis antiquus uidetis illum colubrem qui de paradiso eiecit homi
nem. Et nos uult de paradiso fidei eiecere; Non dixit sumpsit cor
pus columbe sed spiritum tamquam columbam. Ubi dicitur tamquam
non ueritas sed similitudo monstratur. In dominum autem saluatorem
non scriptum est natus est quasi homo. Sed natus est homo. hic uero dici
tur tamquam columbam. Ergo quod uisum est similitudo monstrata est
Ceterum ueritas non fuit, et statim spiritus expulit eum in desertum. Spiritus qui
descenderat in specie columbe. uidit inquid apertos caelos et spiritum tamquam
columbam descendentem et manentem cum ipso; uideto quid dicat
manentem hoc est perseuerantem hoc est numquam recedentem; De
inque et ipse iohannis dicit in alio euangelio. Et qui misit inquid me dixit
mihi super quem uideres spiritum sanctum descendentem et manentem in Christo spiritus sanctus
descendit et permansit, Ceterum in hominibus descendit quidem sed non per
manet; Denique in uolumine ezechielis qui proprie ezechiel in typo
saluatoris est. Denique ad nullum alium prophetarum loquor de
maioribus dicitur fili hominis. Sed proprie dicitur ad ezechiel; In eze
chiel ergo non transeunt uiginti uersos aut triginta et statim di
citur. Et factus est sermo domini ad ezechiel prophetam. Dicat aliquis hoc
quare tam crebro ponitur in propheta. quoniam spiritus sanctus descendat quidem·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc452/0198